Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2871

Quelle:
Copyright:

Hic et apoſtolicus ſua per ſuffragia cetus.
Sic ſemper domino commendat in omnibus almo.
Crimina quo tergat obſtantia queque remittat.
Et mereamur eum quandoque uidere per euum.

Reliquias Pugilis hujus a *Carolo M.* ad S. *Albani* eccleſiam translatas memorat *Chronicon ſuprac.* L. I. Sect. 1. c. 4. et 5. *Serarius Rer. Mog.* L. I. c. 17. de ſolo Capite vult intelligi; ſed verba: *magna pro parte*, plus ſuadent. Verſiculos excipiunt *Epiſtolae* binae recentioris aliquantum calami. Primam *Eugenii III. P. M.* ✠ 1153. ad *Henricum Archiep. Mog.* ✠ eod. anno integram adſcribere lubet: *Peruenit ad aures noſtras quod quidam pſeudo nuncij per partes ueſtras ſub nomine noſtro diſcurrunt. et indebitis exactionibus fideles eccleſie fatigare preſumunt. Quia ergo tante preſumptionis audatia ad infamiam ſancte Romane eccleſie et noſtram ſpectare dinoſcitur. per preſentia tibi ſcripta mandamus. quatenus tam per te quam per epiſcopos eccleſie tue ſuffraganeos circum uagationes talium ſtudioſe ac diligenter attendas. et ſi aliquis ad manus tuas uel ſuffraganeorum tuorum deuenerit. et precipue Ildebrandinus quondam dilecti filij noſtri Jacinti diac. cardin. ſeruiens. capi facias. et tamdiu in captione detineas. donec quid exinde facere uelimus per ſcripta noſtra cognoſcas. Dat. Tuſcul. VIII. k. Novemb.* Altera Epiſtola ſic inſcripta eſt: *W.* (Wichmannus) *dei gratia ſancte Magdeburgenſis eccleſie archiepiſcopus et canonicus quondam halberſtadenſis eccleſie que iam non eſt. quia in fauillas heu redacta eſt. Capitulo Moguntine eccleſie. omnibusque prelatis et toti clero et populo eiusdem eccleſiæ perpetuam in domino ſalutem.* Deſcribit horrendum excidium ab *Henrico Leone* Saxoniae Duce exautorato *Halberſtadio* illatum anno 1179. et Moguntinorum auxilium implorat. Narrant calamitatem hanc inter alios *Chronicon Montis ſereni* et *Pegavienſe* in *Script. Rer. Luſat. Chr. G. Hofmanni.*

Fol. demum 148. Codex hic noſter bona fruge plenus, et rei maxime Liturgicae ſtudioſis opportunus clauditur prolixa Epiſtola *Daiberti* primi *Archiepiſcopi Piſani*, *Godefridi Bullionii* et *Regenmundi Comitis S. Aegidii* data ex Palaeſtina anno MC. ad *Paſchalem* II. P. R. de victoriis ex Infidelibus relatis cum petitione ſubſidii pro exercitu. Primus hanc Epiſtolam produxit Card. *Baronius* T. XII. ad An. 1100. n. 9. ſed, ut ipſe conqueritur, ex exemplari mendis ſcatente. Sincerius nactus in *Cod.* Monaſt. *Signienſis Edm. Martene* eam in *Theſ. novo Anecdot.* T. I. *col.* 281. repraeſentavit; cumque hic a noſtro vix quidquam differat, nil niſi initium et finem hic adſcribere viſum eſt. *Anno Domini Mill°. C. Actum eſt. Domino papę. Romanę eccleſię. et omnibus epiſcopis.*